

*varia, ut magnis in rebus adsolet, impedimenta objici; quæ omnia brevi discussurum pollicebatur. Ex his major in dies suspicio suboriebatur; cum præsertim triremem citato itinere Genuam primum, inde in Hispaniam contendere jussisset; plerisque ad efflagitandam pecuniam, quod Germani, qui apud Brutios hybernauerant, seditionem fecissent, veterani debita sibi stipendia poscerent, opinantibus; aliis, ut de expeditionibus hoc anno obeundis Regis mentem intelligeret, missam putantibus. Cum eodem tempore in Provincia, Galliæ regione, ex Hispania tabellarium literas Messanam perferentem de-
tentum fuisse, nuntiatur; inde & Austriaci discessum, & foederatorum conatus, inter Reges ortis simultatibus, impediri, haud obscuris rumoribus dissipabatur.*

Etenim cum anni initio inter Isabellam Angliæ Reginam, Gallorum perduellium Principes, ac Germaniæ proceres aliquot occulto de ineundo foedere agitari Philippus monitus fuisset, janque in finitimis Hispaniæ locis cogi milites intelligeret; veritus, ne a Belgis, qui nuper ad libertatem animos crexerant, clam incitarentur, copias in Belgio atque in extremis regni finibus comparaverat. Mox, foedere cum Angla in mutuam defensionem a Carolo percusso, viresque maritimas augente Gallo, in dies in Philippi animo suspicio intendebatur; ex suspitione belli timor, atque militum accessiones oriebantur. His permotus Carolus, ut infamiam turbatæ christianorum Principum societatis, atque maximarum rerum abruptæ spei a se avertat, ex Gallica nobilitate hominem in Hispaniam mittit, qui de sua constanti erga eum fide, deque propenso in rem christianam studio Regem doceat: cum Anglis negotiorum, tutandique maris causa societatem inivisse: quæ in oceano navigia instruantur, ab iis armari, quos ob præterita dissidia, uti maxime cupiat, coercere omnino non possit. Ut vero, quod verbis pollicebatur, re ipsa præstaret, edicto cavit, nequis e Gallis armatus Belgium ingrederetur. Ceterum est ea dominandi vis insitaque mortalium animis ob imperii libidinem suspicio ac metus, ut nulla tam sancta fides, nullum adeo verendum jusjurandum sit, quod non humana cupiditate, regnique artibus vincatur. Philippus infixam non modo mente dubi-

1572

*Hispani
de Gallorū
rumoribus
suspiciantur.*

*Carolus
Galliæ Rex
legatum ad
Philippum
Regem mit-
tit.*